Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25967
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Post non multa siquidem tempora palestini denuo
congregati. et magnum [illegible] exerci-
tum colligentes inter socho et alecha castra
metati sunt. contra quos denuo saul produxit
exercitum. et super quendam montem castra po-
nens coegit palestinos prius quidem castra re-
linquere. et ex aduerso montis quem saul ap-
prehenderat aduenire. diuisitque eorum exer-
citum medius mons qui erat positus inter eos.
IGITUR descendens quidam de exercitu
palestinorum nomine goliad de ciuitate
geth uir ualde procerus. cuius altitudo erat
.IIII. cubitorum et palmi unius. accinctus armis
que magnitudine sua natura eius corporis
exigebat. Indutusque lorica cuius erat pondus
.V. milium syclorum eris. galea uero et tibialia
habebat erea. que talis uiri et magnitudi-
nem et inopinabilia potuissent membra
protegere. Hasta uero eius erat non leuis dextre
portatio. sed quam et ipse gestabat in hume-
ris. Cuius ferrum sexcentorum syclorum fuit. Seque-
banturque eum multi arma portantium. Hic ergo
goliad stans inter medias acies. uocem emi-
sit grandem contra saul et hebreos dicens.
A pugna nunc et periculo uos absoluo. Que enim
necessitas est nostrorum exercitus deperire?
Sed date aliquem uestrum contra me pugnaturum.
et totum bellum unius uictoria terminetur. Serui-
atque pars altera illis quorum fuerat ille qui
cecidit. Est enim multo melius et temperantius
unius periculo promereri quod potestate ad-
est multorum. Hec cum dixisset. ad propria reme-
auit. Altera uero die rursum uenit ac eadem
uerba fecit. et similiter usque ad diem quadrage-
simum hostes ad predictas conditiones prouo-
care non destitit. Ita exercitus et ipse saul
et exercitus constituebant quidem acies quasi pug-
naturi. ad congressionem minime ueni-
bant. Bello denique consistente inter hebre-
os et palestinos saul remisit dauid ad
patrem suum iesse. cum ei tres eius alii filii ad
solatium et periculum pugne sufficerent.
Ille uero tunc quidem ad ouilia et pasturas pecudum
remeauit. non multo post ad castra reuersus
hebreorum missus a patre ut necessaria fratribus
deportaret. et quid agerent agnosceret.
Cumque goliad denuo reuertens et prouocans
exprobraret. quasi nullus inter eos uir esset qui
contra eum pugnare presumeret. cum fratribus
loquens dauid eo quod mandauerat pater.
Is audiens illum blasphemantem exercitum
et patriam affligentem indignatus est. et fratribus
ait paratum esse se solum cum hoste pugnare.
Cui senior fratrum aminadab interminatus est
et presumptionem habere eum preter etatem dicens
et inexpertum huius officii. iussit ad patrem et
ad pascua remeare. Qui reuertitur quidem fratrem
discessit. et apud quosdam militum est locutus
quod uellet cum palestino prouocante pug-
nare. Illis autem repente saul iuuenis in-
dicantibus uoluntatem. rex eum uocauit. et
dum quereret ut quod uellet ediceret dixit.
Non deficiat mens tua rex. nec metuas.
ego contra superbiam huius hostis pugnando
ita sublimem proceritatemque subdam. et sic iste
quidem irridebitur. tuus uero exercitus gloriosus
inuenietur. Sed neque uirum bellatorem habet
in acie peritum. sed prouocatus a puerili etate
moriatur. Saul autem eius presumptionem atque
magnanimitatem ualde mirante non tamen
in eo habente fiduciam propter etatem. sed in-
firmum esse ut contra peritum hostem bellum sus-
ciperet. ea dicente. dauid ait. Polliceor
hoc confidens in deo qui mecum est. cuius etiam ad-
iutorio fungor expertus. Nam dum aliquan-
do leo ouiculas meas inuasisset et ar-
ripuisset agnum. sequens adprehendi eum.
et agnum quidem ex ore eius eripui. ipsum uero
dum contra me impetum fecisset a cauda
comprehensum et percussum interemi.